



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

4. Secundæ Synodi Aurelianensis, & secundæ Turonensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

imitantur solem, brevi tantum, nec pertinaci Eclypsi, & post occasum resurgentes.

III. Anno DXXIII. (Aut secundum alios DXXVII.) Obije sanctus Avitus Episcopus Viennensis *eruditione*, ut loquitur Ado, & *eloquentiâ præcipuus*: hic verò epistolâ 87. ad Hormisdam Pontificem: *Securus non dicam de Viennensi, sed de totius Gallia devotione polliceor, omnes super statu fidei vestram captare sententiam.*

IV. Anno DXXXVI. Celebrata est secunda Synodus Aurelianensis, in qua triginta Episcopi, qui per se, vel per Vicarios interfuerunt, ita canone primo loquuntur: *Quas etiam sanctas Sedes Apostolica sancta condemnat: similiter & cum suis auctoribus & sectatoribus execrantes presentis Constitutionis vigore anathematizamus atque damnamus; rectum atque Apostolicum in Christi nomine ordinem fidei prædicantes.*

Anno DLXX. (Alij ponunt annum DLXVII.) Celebrata est secunda Synodus Turonensis, in qua ita Patres loquuntur cap. 21. *Quis Sacerdotum contra Decreta talia, quæ à Sede Apostolica processerunt, agere præsumat? Sedes Apostolica semper fuit aut intrmittere Auctores, quorum valere possit prædicatio, aut apocryphos facere: & Patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum præceperit auctoritas. Nos ergo sequentes, quos vel Paulus Apostolus, vel Papa Innocentius statuit in canonibus nostris inserentes, &c. Nota antiquæ & Primitivæ Ecclesiæ Gallicanæ morem, & obsequium Pontificiis decretis præstitum: Patres nostri, inquit, hoc semper custodierunt, quod eorum præceperit auctoritas. Et paulò post pro eodem habent parifque auctoritatis: Quod vel Paulus Apostolus, vel Innocentius statuerit: fieri non possit, ut Illustrissimi Gallia Episcopi Parisijs congregati Innocentij Undecimi repetitis Decretis tam enixè obniterentur, imò ejus auctoritatem tanto conatu exarmatum irent, si Gallicanæ Ecclesiæ doctrinâ imbuti essent?*

V. Anno DCCLV. Obije S. Bonifacius Germaniæ Apostolus Martyrio coronatus. Is quæ tunc temporis de Infallibilitate Romani Pontificis in tota Ecclesia ac præsentim Gallia sententiâ fuerit, luculentissimo testimonio ostendit, quo nihil clariùs dici possit, nihilque efficacius; sic enim scribit: *Tantâ reverentiâ apicem Apostolicæ Sedis omnes suscipiunt, ut Sanctorum Canonum disciplinam, & antiquam Christianam Religionis institutionem magis ab ore Præcessoris ejus, quàm à sacris Paginis & paternis Traditionibus expectent. Illius velle, illius nolle tantum*